



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lilivm Inter Spinas**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. XII. Quanto feruore se in Fratrum seruitio exercuerit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

CAPVT XII.

*Quanto feroe se in Fratrum seruitio  
exercuerit.*

SACRAE Matris colloquijs & monitis adolescens docibilis confortatus, cœpit secum altiori tractare consilio, cuius in hoc seruitio formam videretur habere: & occurrit animo eius (sicut ipse nobis in gaudio spiritali narrare solebat) ille summus & humilimus suorum seruus seruorum, Dominus IESVS: qui vt se seruum ostenderet, seruitium suum & verbis pariter & exemplis ostendit. Et verbis quidem: *Quis, inquit, maior est? qui ministrat, an qui recumbit? nonne qui recumbit?* Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: Filius Matth. 20. enim hominis venit non ministrari, sed ministrare. Docuit hæc verbis Christus Dominus; sed & humilius hæc impleuit exemplis. In tan-

*Luca 22.*

C 3 tum

A-

Ioan. 13.

*Obseruent  
hac quibus  
ex officio  
seruire  
Fratribus  
incumbit.*

tum enim se inclinavit Dominus Maiestatis, ut seruorum suorum pedes lauaret, coram illis etiam corpore inclinatus, & extergeret linteo, quo erat præcinctus. Tanti Domini, seruientis seruis suis, formam se gerere humilis Frater noster, seruiens Fratribus suis, semper in corde gerebat: ex quo tanta se sensit alacritate portari; ut quotiescumque tale Fratribus seruitium exhibebat, non se ire aut currere, sed potius volitare putaret, nimirum animi leuitate in leuitatem corporis transcuente. Magna distantia beati Fratris huius à plerisque Fratribus: qui vel superbia eriguntur, vel grauantur acedia, ne in spiritalem lætitiam erigantur, vel humiliter inclinentur; vt Deo ministrent in Fratribus, & Fratribus propter Deum. Discant \* exemplo presenti, non solùm sine murmure, verùm etiam humiliter & alacriter Fratribus ministerium exhibere: & discant glorificare Deum, & Dominum

\* An deest  
hi?

IE-

I E S V M , cuius ministrantis figuram  
in corde & corpore suo portant : vi-  
deantque nihilominus, quantam Mi-  
nister noster ex ministerio suo fuerit  
gratiam consecutus: nam Domini I E-  
s v(cuius se formam gerere recogno-  
uit & sensit) gratia \* debriatus, & spiri-  
tuali satietate refectus, multo tempore  
famis & sitis corporalis detrimenta  
non sensit; ita ut ultra quam credi pos-  
sit, abstinentiam protelaret, pia fraude  
circumueniens Fratrem illum , cum  
quo in Refectorio pariter seruiebat:  
inuenies quippe caussas , propter quas  
vel ante vel post illum comederet; illo  
ignorante , simplicis panis & aquae,  
quasi consuetudinaria fuit refectio  
contentus. Mira gratia! ut propter abs-  
tinentiam diuturnam , nec in corpo-  
rali labore deficeret, nec tanto tempo-  
re acceptae diuinitus perderet gratiae  
suavitatem.

\* Inebria-  
tus habet.  
Surius.

*Notamiræ  
abstinentiæ*

C 4      C A-